

Handwritten text on the adjacent page, including numbers 2, 3, 4, and 5, and some symbols.



1671.

1. Beckmann, Joh. Volk: De solemnitatibus, quae  
jure communi ad testamenti factionem requiruntur,  
remissione et intensione.
2. Beckmann, Joh. Volk: De jure constituendi.
3. Beckmann, Joh. Volk: De sequestris et sequestratu-  
ribus.
4. Beckmann, Joh. Volk: De nuptiis personarum  
illustrium.
5. Beckmann, Joh. Volk: De sequestratione.
6. Beckmann, Joh. Volk: De sequestratione.
7. Beckmann, Joh. Volk: De jure piscandi.
8. Falckner, Joh. Christoph: De juramentis illicitis.
9. Fridonci, Joh. Anoldus: Diaphragma ex vulnere  
Caesum.
10. Georgi, Johannes Fridericus: De communiore bonorum  
conjugatorum.

1671.

11. Hermannus, Christianus: De spectaculis.
12. Hoffmannus, Christianus: Problema physicum:  
An ex bono et bello generari possit homo?
13. Heyser, David: De Imperatoris Romani Germanici  
reservatis et regalibus cum appendice, qui continet  
historiam juris publici.
14. Linck, Henricus: De persecutione ac remissione  
delinquentium.
15. Linck, Henricus: De metallis eorumque fodinis
16. Linck, Henricus: Retutiones.
17. Muellerus, Philippus: Iniquitas magni exempli  
sive distributio de sententiis et plenitudine potestatis  
prospectis.
18. Richter, Christophorus Philippus: De basilione  
ejusque jure et privilegio.

19. Richter, Christophorus Philippus : De curis publicis  
et angariis et parangariis de quo Lemonario.
20. Rott, Augustus : Athila, Humorum dea.
21. Schenckius, Iohannes Theodorus : Triga simpliciorum  
medicamentorum illustris: fermentantium,  
sedativorum, et praecipitantium.
22. Schenckius, Iohannes Theodorus : De catalepsi.
23. Schenckius, Iohannes Theodorus : De arthritide.
24. Schenckius, Iohannes Theodorus : De diaphragmatis  
natura et morbis.
25. Schroeter, Ernestus Fridericus : De febris rega.  
libus.
26. Schroeter, Ernestus Fridericus : De eo quod circa  
vulnera iustum est.
27. Schroeter, Ernestus Fridericus : De consolidatione

10.

11.

12.

13.

14.

15.

16.

17.

18.





G. 26. num. 20. ~~V. 20.~~ 24

CHRISTO LEGUMLATORE COELESTI MODERANTE  
MAGNIFICO JCTORUM ORDINE

in Illustri ac celeberrima ad Salam Academia

SUFFRAGANTE, 1671, 6

V I R O

*Pra. Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo atq. Excellentissimo*

DN. JOH. VOLK. Bechmann/

Hæreditario in Obern-Tröbra/ Jcto & An-

tecessore famigeratissimo, Consiliario Saxon. emin-

tissimo, Curia Provincialis, Facultatis suæ & Scabinatûs

Adessore gravissimo,

*Dn. Patrono & Promotore suo omni honoris cultus  
devenerando*

P A T R O C I N A N T E,

DISPUTATIONEM JURIDICAM THEO-  
RETICO-PRACTICAM

DE

SEQUESTRATIONE

*Publicæ eruditorum censura submittit*

in Themisterio Jctorum

JOHAN. CHRISTOPH. ULRICI,

Pirnens. Misn. AUTOR.

*Ad diem Maji Anno M. DC. LXXI.*

Horis consuetis.

J E N Æ,

Literis WERTHERIANIS.



V I R O

*Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo atq. Excellentissimo*

DN. SEBASTIANO

*Schubarten/*

J. U. Doctore celeberrimo Practico in  
illustri Dresdensi famigeratissimo felicissimo

&

V I R O

*Nobilissimo & Clarissimo*

DN. HENRICO

*Braunen/*

J. U. Candidato dignissimo, me-  
ritissimo

*Dominis Patronis, Promotoribus, Fautoribus suis,  
Affini & respectivè consobrino suo omni debito honoris atque  
amoris cultû jugiter suspiciendis ac obsequiosè de-  
venerandis*

Hasce primitias Academicas

in

debita Gratitude ac observa-  
tia resseram

*Dat, Dicat, Dedicat*

JOHANNES CHRISTOPHORUS ULRICH,

R. A.



## Præloquium.



Um Specimen aliquod vitæ meæ Academicæ publicum edere mecum proposuissem, statim diversis ac variis cogitationum fluctibus agitato, quamnam potissimum materiam ex tam lato Juris Oceano seligerem, tandem incidit mihi, quod monet iste legum Prudentum Coriphæus, *Ulp. l. i. pr. π. de suspecti. tutor. & Paul. l. 25. de liberat. legat. Plenius scilicet atque accuratius ea esse tractanda, quæ quotidiana sunt, ac scitū necessaria: earum scilicet rerum & materiarum utilem ac necessariam esse tractationem, de quibus frequens in foro oriri solet disceptatio; Quapropter monitu horum Jurisconsultorum, neglectis aliis, de sequestrationis materiâ, non minus difficili, quàm in foro utili, neque in uno loco traditâ, sed sparsim à variis Doctoribus explicata atque reperta, quantum imbecillitas ingenii permittet, ex variis iisque probatissimis Autoribus quædam colligere, apud animum proposui, quia satius (ut inquit Warem. ab Erenb. de fæder. c. 1. n. 168.) est, ex variis prudentiæ Autoribus optima quæque congerere, quam propriæ industriæ viribus excogitata, periculosè proferre. De illâ ipsâ igitur materia multum præfari, ejus commodum, utilitatem, atque frequentiam flore orationis, quæ aliàs luce meridiana clarius elucescit, convestire non laborabo, quæ enim per se placent, exoticam & prolixam non desiderant commendationem, & ubi res ipsa se ostendit, commendatione opus non est, loquitur *Ulp. l. i. pr. π. de in integ. restit.* Exposcit sane, quod lubens fateor, materiæ hujus gravitas, pertractationem exquisitam, sed isti me planè imparem sentio, optimè enim mihi notum, quàm curta mihi ingenii suppellex, quæ ingenii tenuitas, quæ Judicii mei simplicitas; nihilominus tamen ut periculum facia-*

mus, jacienda est alea, & quid valeant humeri nostri, quid ferre recusent, explorandum. Quod si igitur, Benevole Lector, in hac materia, quam jam tractandam suscepi, erraverim, aut aliquid omiserim, aut minus rectè dixerim, nolis statim sinistre judicare, sed id magis imbecillitati humanæ, & materiæ diffusissimæ gravitati adscribas, precibus contendo, *omnium enim habere memoriam, & penitus in nullo peccare divinitatis magis, quam mortalitatis est, inquit sacratiss. Imp. noster l. 2. §. 14. Cod. de vet. jur. enucl.* Ne autem illotis, ut dicunt, manibus rem aggrediar ductu Sacratiss. Imper. nostri, qui cum Instit. Juris in cupidum legum juventutis usum edere vellet, non prius telam exordiri voluit, quam divini Numinis auxilium implorasset, sicuti etiam *l. 2. C. de offic. pref. Præt.* in NOMINE CHRISTI, ad omnes actus sibi progrediendum esse putavit: Sacrilegii etiam instar mihi esse existimo, si præsentem dissertationem, sine invocatione divini Numinis, inciperem. Age itaque mihi Dux, magne DEUS, & manum hanc mentemque dirige, ut salutaria videam, dijudicem atque proponam. Hisce præmissis sine ulteriori verborum circuitu rem ipsam sub disputationis incudem revocabimus, sit ergo DEO bene annuente.

## CAPIT I.

De

# Etymologia, Homonymia & Synonymia.

§. I.

SEquestrationi operam daturum prius nosse oportet, unde vocabulum descendat. *l. 1. π. de J. & J.* quia ipsa vis ac substantia rerum ex proprietate nominum investigatur. Unde Paulus non tantum *l. 1. π. de furtis*, prius nominis, postea rei definitionem tradit, sed & reliquos Jctos, in perscrutandis nominibus haud parum desudasse, constat ex *l. 1. §. 1. π. de Pact. l. 2. §. 2. π. de R. C.* quod etiam ex multis aliis Juris textibus possemus probare, nisi illos omnes enumerare lubenti animo præmitterem. Hinc ut ego eadem Methodo utar, levi saltem brachio vocabuli

hu-

hujus derivationem lubet attingere, quæ libentius nos ad lectionem propositæ materiæ producit, & cum ibi pervenerimus, evidentior præstabit intellectum. *l. 1. in fin. π. de O. 7.*

§. 2. Antequam autem ad Etymologiam accedamus, notandum quod Sequestratio, it. sequestrum & sequester conjugata sint, quamvis regulariter negare non possimus Sequestrationem, à sequestro differre, tanquam factum à jure; tamen jus ex contractû ortum, & ipse contractus actus interdum usû confunduntur.

§. 3. Vocabulum Sequestrationis, quantum Etymologiam, seu vocis derivationem attinet, sciendum quod dictum sit à sequendo, sicuti etiam sequester ab eo dicitur, quia utriusque partis voluntatem sequitur. Unde J. C. Modest. *in l. 110. π. de V. S.* Sequester (inquit) dictus est ab eo, quod occurrenti aut quasi sequenti eos, qui contendunt, committitur. Hinc *Alciatus in Com. suo ad d. l. sequester. 110.* Virgulam censoriam in J. C. nostri derivationem stringere audeat, it. post eum *Brach. ad d. l.* & dicunt Modestini Etymologiam subduram, ineptam, & vanam esse, & disputant contra J. C. ex hoc fundamento, quod hæc vocabula: occurrere & sequi, sint diversa, occurrit (dicunt) qui adversum tendit; sequitur qui post venit: Verum ut paucis Alciato respondeamus, dicimus Modestinum hic vocabula: occurrere & sequi, minimè pro diversis accepisse, quia occurrere hic nihil aliud est, quàm partium voluntatem acceptare, comprobare & quasi sequi, & sic, quando sequester partium voluntatem approbat & sequitur, recipiendo scil. rem litigiosam in suam custodiam, occurrere ipsorum voluntati & quasi sequi dicitur.

§. 4. Alii vocabulum Sequestrum deducere conantur à secando, quasi sequester eos, inter quos lis geritur, & inter quos rixa est, velut medius quidam secet, atque dirimat, sed hæc derivatio non tantum ridicula & inepta, sed plane falsa est, quia notissimi Juris, sequestrum controversias minimè dirimere posse, quia hoc ad Judicis officium spectat, qui causa satis cognita, litem sententiâ suâ dirimere cogitur. Ne autem in antiquitate Andabatarum more versemur, notandum, quod veteres pro sequestre, voce sculna, quasi seqvulna, usi sint, teste *A. Gell. in N. A.*

lib. 20. c. 11. & quod apud sequestrem depositum erat, sequestro positum, dicebant. *Cat. de Ptolom. contra Thermum:*

*Per Deos immortales, nolite vos Sequestro ponere.*

§. 5. Ne autem à matre & genetrice errorum ad erroris Labyrinthum deducamur, operæ pretium erit, ut hujus vocabuli ambiguitates æquiore lance ponderemus. Variè enim à variis Autoribus solet accipi; Unde divinum illud *Eloquentiæ oraculum*, *Cicero* sapissimè hoc vocabulum accipit pro Sycophanta, in *Orat. pro A. Cluent. p. m. 31. lin. 9.* ita inquit: *Quatuor viros, quos municipes fecerant, sustulit, se à Sulla & alios præterea tres factos esse dixit, & ab eodem sibi esse impetratum, ut Aurium illum, qui sibi, delationem nominis, & capitis periculum ostentarat, & alterum Aurium, & ejus C. filium & sex: Verbum quo sequestre in illo iudice corrumpendo dicebatur esse usus, proscribendos interficiendosq; curaret.* it. *pro M. Cœlio p. m. 72. lin. 2.* *Hoc tamen dico, non modo si socius conjurationis, sed nisi inimicissimus istius sceleris fuisset, nunquam conjurationis accusatione adolescentiam suam potissimum commendare voluisset, quod haud scio an de ambitu & de criminibus istius sodatium ac sequestrium, quoniam huc incidi, similiter respondendum putem.* Sic Poëtarum ille Princeps, *Virgilius Lib. II. Æneid.* pacem sequestram pro induciis accipit, hunc in modum canens:

*Bis senos pepigere dies, & pace sequestra  
Per sylvas Teucros, mistiq; impune latini  
erravere jugis ferro -- --*

§. 6. Interdum etiam is appellatur Sequester, qui interpretis & arbitri partibus fungitur, minus tamen rectè, cum hoc regulariter non sequestri, sed magis Judicis officium sit. Sic apud *Tertull.* in *Lib. de patientia.* Ideò satis idoneus patientiæ sequester est DEUS, si injuriam apud eum deposueris ultor est. It. in *l. 17. §. fin. & l. seq. π. de presc. verb.* Impropiè sequester dicitur, ubi duo sponcione certantes, rem certam eâ lege deposuerunt, ut victori restituat: Nos rejectis hisce ambiguitatibus sequestrem cum *Jcto Modest.* in *d. l. 110. π. de V. S.* pro eo, apud quem plures rem, de qua controversia est, deponunt & sic sequestrationem pro dominii & rei possessæ, de qua controversia est, sive

sive partium consensu, sive Judicis officio, suspensione & separationem accipimus.

§. 7. Synonymiam porrò quod attinet, dicitur ab aliis: seorsim positio vel separatio rei controversæ penes tertium. *Matth. Col. Proc. Exec. p. 1. c. 2. n. 54. Curt. de sequestr. quest. 1. n. 2. Molin. in consuetud. Paris. part. 2. §. 32. gloss. 1. verb. arrest. n. 1.* vocat impedimentum vel interdictum, ne res loco vel statu submoveatur. it. saximentum. *Farrar. in form. sequestr. verb. sapiens n. 1.* in lingua vernacula dicitur *Hinterlegung*. *Noë Meurer in sua libraria Kaysertlicher und Teutscher Nation Land- und Stadts Recht p. 1. fol. 9. tit. von Arresten und Kummern ib. von der Sequestration oder Hinterlegung.* Apud Græcos sequester dicitur *ε μέσθ*, i. e. interventor, qui neutri plus altero auxiliatur, Germanicè ein *Schiedsmann*/ sunt adhuc multæ aliæ descriptiones, quas tamen brevitatis e. lubenti animo prætermittimus.

§. 8. Circa primum hoc caput oritur quæstio præliminaris & generalis: An sequestratio sit licita & permessa? Plerique interpretum statuunt sequestrationem tam mobilium quàm immobilium rerum tam corporalium, quàm incorporalium, non solum Jure Canon. verum etiam Civ. esse prohibitam *arg. l. unic. C. de prohib. sequest. pec. c. 2. ext. de sequestr. possess. & fruct. c. 1. ut lite pendente c. cum teneamur ext. de appell. Myns. cons. 66. n. 14. Duar. ad d. l. unic. C. Hostiens. in sum. de sequest. poss. n. 4. Gail. 1. obs. 148. in pr. n. 7. & 10. in fin. Coler. Proc. Exec. p. 1. c. 2. n. 81. Jacob. de Arena de sequestr. n. 3. Coras. lib. 3. Misc. c. 2.* Tamen ab his recedit *Job. Robertus*, qui *lib. 1. sent. c. 5.* dicit, non cujusvis rei sequestrationem esse prohibitam, sed tantummodo pecuniæ ex contractu debitæ, & sic etiam *Cujac.* expressè tradit aliarum rerum, quæ in judicium deduci possunt, sequestrationem fieri posse, etiam liberarum personarum, sed pecuniæ tantum, quæ petitur, sequestrationem esse permissam. Idem etiam *Fornarius ad d. l. sequestr. no. de V. S.* inter personalem & realem actionem distinguit, & dicit, in conditione tanquam actione personali esse; in vindicatione autem seu reali; non esse prohibitam, & pro argumento sequentia proferunt: (I) Quia non tantum *in tit. C. de prohibita sequest. pecun.* verum etiam per totum

tum *lib. 4.* tantummodo de actionibus personalibus agatur, & hinc inde concludunt, quia *Impp. Honor. & Theodos.* ibi tantum de actionibus in personam egerunt, ergo hæc prohibitio non est extendenda ad actiones in rem: Sed respondendum, quod consequentia non valeat; *Impp.* tantum locuti sunt *in d. l. unic.* de actionibus personalibus & sequestrationem prohibuerunt; E. sequestratio in actionibus realibus est permessa; Idem esset ac si concluderem: Istæ rationes, quæ *in d. l. unic. C. de prohib. sequest. pec. ab Impp.* enumerantur, tantum intelligendæ sunt de actionibus personalibus, & non realibus; ratio est, quia *Impp. in ista l. unic.* tantum loquuntur de actionibus personalibus, quod sanè absurdum; siquidem notissimi Juris sit, quod non tantum ab actore in actione personali, sed etiam reali requiratur, ut actor prius probationes suas debeat adferre, & reum iis conficere, & sicuti in actione in personam, Actor non potest Reum in possessione turbare: ita etiam in actione reali; & sicuti in personali Processus ab executione non potest inchoari: ita etiã in reali. Hinc potius concludendum, ubi eadem Juris ratio, ibi idem Jus. *l. illud 32. π. ad L. Aquil. l. neque 10. l. non possunt. 12. cum ll. seqq. de ll.* (II) Urgent verba ex *d. l. unic.* quia *Impp.* dixerunt: Quoties ex quolibet contractu pecunia postulatur, sequestrationis necessitas conquiescat, & his iterum ostendere volunt, quod saltem sit intelligendum de actionibus personalibus, quia ex contractu oriuntur actiones personales; sicuti ex dominio actiones in rem. Ad hoc iterum respondemus: quod nulla sit consequentia: *Impp.* saltem locuti sunt de pecunia, ex contractu debita, seu de actione personali. E. excluditur actio realis: Ratio enim in ista lege, quæ adducitur, est generalis, & non tantum in rebus; verum etiam personalibus actionibus adhibetur. Nec (III) nos movet, quia saltim dicatur *in d. l. de pecunia*, ad quod respondemus, quod vocabulum *pecunia* hoc loco in latissima significatione, quatenus quippè tam pro re mobili, quàm immobili, tam corporali, quàm incorporali sumatur *l. 2. §. & meminisse C. de const. pec. l. pecunie. 178. de V. S. & Jctus ait in l. 222. de V. S. Pecunie nomine, non solum pecunia numerata; sed omnes res tam mobiles, quàm immobiles continentur,*



tur, & sic hoc in loco vocabulum pecuniæ est accipiendum. Hinc sequitur non tantum sequestrationem pecuniæ numeratæ esse prohibitam; sed etiam omnium rerum, tam soli, quam mobilium; tam corporalium, quam incorporalium. Nos distinguere malumus inter sequestrationem necessariam & voluntariam, voluntaria enim semper est licita; necessaria autem, de qua etiam textus loquuntur, regulariter est prohibita, & quia infra de his dabitur occasio agendi prolixior, nolimus crambem bis coctam apponere, sed properare nunc ad

## CAPUT II.

De

### Definitione & Divisione.

§. 1.

Quamvis plurimi Doctorem in ea sint opinione, quod in iure nostro definitiones ob facilem illarum interversionem valdè sint periculosa, *arg. l. 202. π. de R. J.* & magis omittendas censeant; ductu tamen Platonis, qui putat omnem doctrinam à subjecti definitione inchoandam esse, utpote quæ materiæ tractandæ naturam & differentiam breviter exponat, sequestrationis definitionem hâc vice lubet adjicere.

§. 2. Variis autem variorum sepositis & omissis maximè mihi arridet illa *Magnif. Dn. Struv.* quæ sic se habet: Sequestratio seu sequestrum est depositum rei litigiosæ, quæ certa conditione victori restituatur, custodienda reddendaque tertio cuidam traditur. *Synt. Jur. Civ. Exerc. 21. §. 46.*

§. 3. In definitione rectè dicitur, quod sit depositum rei litigiosæ, & sic statim in frontispicio primam differentiam offendimus, quod non propriè depositum; sed nova species depositi sit, quia unus secum ipse litigare litisque causa rem deponere non poterit, plures enim tantum rem litigiosam deponunt sive sequestrant. *arg. l. 6. & 17. π. depos.* ex his nunc patet, quia sequestratio est species depositi, & depositum est contractus, quod etiam sequestratio sit contractus, & quidem διπλοῦς seu bilateralis, ratio est, quia ultro citroque oriuntur obligationes,

B

nam

nam non tantum sequeſter obligatur ad rei ſequeſtratae reſtitutionem; verum etiam partes, ſeu litigatores obligantur ad reſtituendos ſumptus & damna, quae ejus occasione ſequeſter ſuſtinet *l. 5. π. de poſ.*

§. 4. Stante itaque hypothefi, ſequeſtrationem eſſe contractum; Quæritur, an hoc tam de ſequeſtratione voluntaria, quam neceſſaria ſit dicendum? De voluntaria, in qua partium conſenſus intervenit expreſſus, apud omnes extra omnem dubitationis aleam eſt poſitum, de neceſſaria autem multi hæſitant, inter quos eſt *Wefenb. Conf. 7. n. 7. p. 329.* & dicunt, in quolibet contractu conſenſus requiritur, eoque deficiente, nulla poteſt ſubſiſtere conventio, imò nullus contractus. *arg. l. 1. §. 1. de Paſt.* Atqui in ſequeſtratione neceſſaria pars iſta cui adimitur poſſeſſio, non intervenit conſenſus, & hoc probant, quia Judex eo invito & repugnante, ſequeſtrationem decernit. E. Enimverò ſi limitamus majorem, reſponſio ipſa ſe oſtendit, hoc modo: In quolibet contractu conſenſus declarandus eſt aut expreſſè aut tacitè, ſc. facto aliquo, & ſic etiam hoc caſu ab utraq; parte litigantium declaratur conſenſus, ſi non expreſſè: tamen de facto aliquo, qui autem confirmat actum facto, iſ conſentire videtur. *arg. l. 3. π. de noxalib. action. §. 1. 60. de R. J.* & ſic adhuc firmo ſtat talo ſententia, neceſſariam ſequeſtrationem eſſe contractum, donec quis contrariū ex firmioribus fundamentis probet.

§. 5. Secunda differentia patet ex verbis: certâ conditione, ſcil. lite finita, ut tunc demum victori reſtituatur, deponens autem non cogitur expectare, donec aliqua conditio exiſtat, ſed poteſt rem quandocunque libuerit à depositario reperere, *Magnif. Dn. Struv. d. Exerc. §. 33.* Tertia differentia ſeſe offert ex ultimis verbis definitionis: ubi dicitur, tertio cuidam traditur, hic tertius eſt ipſe ſequeſter, qui eſt medius inter litigantes & contendentes, & ex his quilibet Judex docetur, ut ſemper ſit eligendus tertius, & non unus ex litigantibus.

§. 6. Hactenus differentias inter ſequeſtrationem & depositum expoſuimus, nunc paucis oſtendemus quomodo a reſtum differat à ſequeſtratione, quoniam hæc duo ſæpiſſimè confundantur, & non rarò alterum pro altero ponatur; Negare qui-

quidem non possumus, quod multa sint, in quibus conveniant, ita ut quidam communiter asserere audeant, sequestrum & arestum, quoad vocabula tummodo differre, & sequestrum vocem latinam, arestum verò Gallicæ originis esse. *Coler. Proc. Exec. p. 1. c. 2. n. 157. And. Gail. tract. de Arrestis c. 12. num. 6. & 7. Myns. Conf. 66. n. 14.* Rectius tamen si secernuntur; & quemadmodum hæc duo vocabula nomine, ita quoque re ipsa differunt *l. si idem. 7. C. de Codic. l. 14. C. de testament.* Differt autem arestum à sequestro (1) ratione originis; Arrestum enim moribus Saxonis est introductum, & in Jure Civili non fundatum. *Magnif. Dn. Richter in decis. d. 77. num. 4.* Sequestratio autem in Jure Civili est fundata. (2) Sequestrum à fide & conventionne contrahitur, & est depositi species, atque ita contractus, de quo *sup. in §. 3.* egimus, Arrestum verò neque depositum potest dici, neque contractus; sed manus quædam injectio, quod confirmatur *expresso tex. Weichbild. art. 27. ibi: Hat er aber kein eigen nicht/ so muß er Bürgen setzen / hat er der auch nicht/ man antworte ihm bey der Hand: Ist er denn ein Gast dem er geantwortet wird/er soll ihn mit ihm führen (ob er ihn nicht behalten mag binnen Weichbild) er muß aber Bürgen setzen / daß er ihn unverderbt (an seinem Leibe oder an seinem Besund) wieder antworten wolle: Hat er aber der Bürgen nicht / er soll ihn lassen binnen den Weichbild in des Richters Haus/ mit solcher Haffte/ daß er ihm nicht entlauffe: Mit einem Fesser mag er ihn wohl spannen / anders soll er ihm kein Pein anthun / sint daß er sich mit Willen in das Gefängnis selbst geantwortet hat / und er soll ihn halten mit Kost und mit Arbeit wie sein Besinde: Sincemahl daß er kein Dieb noch Diebes Genosß nie ward.*

§. 7. (3) Differt arestum à sequestratione, quia arestum non fit custodiæ causa, nec in re litigiosa tantum, & tam in persona quàm in re qualibet exercetur etiam non litigiosa, impediendo ne abeat vel avehatur, ad effectum agendi vel juris & rei consequendæ: *Weichbild. d. artic. 27. gloss. & art. 40. Land. Recht. lib. 1. art. 70. Carol. Molin. in verb. arrest. n. 3. & seqq. Unde etiam alia est constitutio de Arrestis anno 1570. edita, & anno 1594. in §. bey den Arresten §§. seqq. declarata, diversa ab ea, quæ*

de sequestratione. existat in *Ord. Cam. p. 2. tit. 21.* & sic notum est non tantum in foro, sed etiam in scholis, tam re quam verbis hæc duo multum inter se differre, absolute quidem negare non possumus, si quis vocabulum Arresti in generali significato velit accipere, quod etiam comprehendat sequestrationem, & hoc potest probari ex *Ord. Process. tit. von Arrest und Summer / in pr. ibi:* Wann man eine Person oder ein Stück Guts es sey beweglich oder unbeweglich umb allerhand Vorsorge willen Gerichtlichen anhalten und sequestriren läßt / sed hic textus magis intelligendus est de sequestratione necessaria, quam voluntaria, siquidem aliàs notum, quod sequestrum necessarium & arrestum planè convenient, & sicuti necessarium sequestrum regulariter est prohibitum; (de quo paulò post agatur) ita etiam arrestum. *Vid. And. Gail. in tract. de Arrest. c. 1. n. 7. & in Novell. Elect. Aug. const. 29. p. 1. §. fin.* expressè prohibetur. ib. Wir verbieten hiermit alle heimliche Summer / und wollen daß dieselbe hinfüro in den Gerichten unserer Lande nicht verstatet werden / und do solches gleich geschehe / so sollen sie doch an sich selbst nichtig und unträftig seyn.

§. 8. Differt porrò multum sequestratio à missione in possessionem. (1) Quia sequestrum non tantum Judicis auctoritate, sed etiam conventionem fieri potest; missio verò in possessionem nunquam absque Judicis decreto. *l. 4. π. de jurisdict. l. 1. l. 4. §. 1. §. duas. §. hoc autem. π. de damn. infect. l. 2. π. quibus ex caus. in poss. eatur.* (2) Sequestratio prodest nocetque tantum deponentibus. *l. interesse. π. de acquir. poss.* missio autem in possessionem unius & alterius eandem causam habentibus prodest nocetque; *l. cum unus π. de reb. aut. jud. poss.* (3) Missus in possessionem ex primo decreto maxime in actione reali efficitur possessor. *c. quoniam. §. in aliis vers. quod si super ext. ut lit. non contest. l. 3. §. fin. de acquir. vel amitt. poss.* Magnif. Dn. Preses, Preceptor & Patronus meus omni honoris cultu devenerandus in Com. suo ad π. in tit. quib. ex caus. in possess. eatur pag. 16. n. 68. (4) Missus in possessionem jus pignoris in eà re acquirit. *l. 4. §. 1. l. si finita. §. ex hoc edicto. π. de dam. infect. l. 1. l. 2. C. de prat pign. §. fin. x. de eo qui mittit. in poss.* Sequester autem in re nihil juris

ris consequitur §. *præterea. Inst. quib. mod. re cont. l. interesse pu-  
ro. π. de acquir. vel amitt. possessione.*

§. 9. Hactenus de definitione & differentiis sequestri;  
nunc etiam paucis de divisione: Communiter autem Doctores  
eam duplicem faciunt: Voluntariam scilicet seu conventiona-  
lem, & necessariam seu judicialem. *Schneider. §. præterea. n. 5.  
Inst. quib. mod. re cont. oblig. Coler. p. 1. c. 2. n. 68. Treutl. p. 1. disp.  
26. §. 9. Hackelm. illustr. quest. disp. 9. th. 14.* Voluntaria quæ alias  
vocatur extrajudicialis, dicitur, quæ fit ex conventione & bene-  
placito partium litigantium extra judicium. *l. 5. §. 1. & 2. l. 6. l.  
17. π. depos. & quia hæc vera & univoca species est contractus de-  
positi, sicuti eam nominat Magnif. Dn. Struv. S. J. C. Exerc. 21. §.  
47. adeoq; semper licita & non prohibita. l. 5. §. 1. 2. l. 6. l. 17. π.  
depos. it. l. 5. l. 6. C. eod. l. 39. π. de acquir. poss. l. 39. de solut.  
Schneid. d. l. Gail. 1. obs. 148. n. 8. volenti enim non fit injuria l. 34.  
C. de transact. l. 1. in fin. π. de act. emt. & vend. l. quamvis. de in-  
jus vocando l. 1. in fin. qui fals. tut. l. qui autem. π. de his qui in-  
fraud. cred. & quod inter contrahentes actum est, pro lege ob-  
servatur. l. 23. l. 34. de R. J. l. 52. de V. O. l. 1. §. 6. π. depos. Nov.  
136. c. 1.*

§. 10. Necessaria dicitur, cum partibus etiam invitis Ju-  
dicis competentis autoritate res sequestratur. *Corsf. lib. 3. Misc.  
c. 2. & de hac etiam loquitur textus in l. si fidejussor. 7. §. fin. π.  
qui satisd. cog. c. 2. ext. de sequest. poss. & fruct. l. unic. C. de pro-  
hib. sequestr. pecunia.* Idem etiam statuitur de jure Saxonico.  
*§. R. lib. 2. art. 17. ib. Man soll niemand wissen von seinem Gut/  
das er in Gewehren hat / Ihm werden dann erst die Gewehr mit  
Recht abgenommen. & lib. 3. art. 73.* adeoq; hæc nunquam à ju-  
dice potest decerni, nisi ex causis urgentibus & legitimis, quales  
multæ à multis recensentur, inter has etiam recensetur, quando  
scil. contentio sit de possessione, & partes litigantes parati sint  
rem armis decidere, tunc Judex rem de qua litigatur partibus  
nolentibus volentibus ex officio sequestrat, indeque rectè voca-  
tur judicialis, cum fiat ipsis litigantibus invitis, quod judicio-  
rum proximum est. *l. inter stipulantem. 83. §. 1. de V. O.* Ratio  
autem prohibitionis est, quia Processus ab executione non est

B 3

inci-

incipiendus, l. 1. C. de Execut. rei jud. Magnif. Dn. Struv. d. Exerc. §. 49. convincere enim quis oportet debitorem, tum cogitur solvere. l. negantes. 9. C. de O. & A. & pendente lite commodo possessionis nemo est privandus l. fin. C. de R. V. §. 4. vers. commodum. Instit. de interdicitis. l. 1. & 2. C. ut nem. lic. sign. Imp. ret. c. 2. ext. de sequestr. poss. c. 1. ext. ut lit. pend. l. fin. C. si per vim vel alio modo c. cum persona §. quod si tales de priv. in 6. Unde etiam natum tritum illud diverbium: Beati sunt possidentes, ut hoc ita procedat; licet prædo vel fur sit, qui possidet; tamen in possessione per sequestrationem turbari non debet per l. 1. §. si præd. 39. π. depos. l. 64. de judic. l. 13. de R. C.

§. II. Alii plures statuunt nimirum Prætoriam, Francisc. Curt. in tract. de sequestris, & Rebuff. mixtam addit in l. sequester. 110. de V. S. sed minus rectè. Francisc. Curt. respondemus, quod hæc sequestratio minimè sit distincta species à judiciali, siquidem sæpissimè pro judiciali & necessaria sequestratione nominatur Prætoriam. Carol. Molin. ad consuetud. Parisiens. tit. 1. §. 1. gloss. §. 4. num. 16. nonnunquam etiam vocatur contentiosa. S. chard. ad Rubr. h. t. n. 4. Jacob. de Arena de sequest. Rebuffo autem respondemus, quia trimembrem suam divisionem, nullo firmo juris textu potest probare, meritò nullam sequestrationem mixtam statuimus. Alii etiam adhuc aliam adducunt, nimirum temerariam, sed hanc iterum, quia in jure nostro non est fundata, tanquam absurdam rejicimus. Objiciunt quidem, quod sæpissimè sequestratio à Judice temerè & non legitimo modo decernatur, exinde tamen non statim concludendum, illam sequestrationem, quæ fit temerariè & non legitimo modo esse peculiarem sequestrationis speciem; sed magis dicendum: Ejusmodi temerariam sequestrationem pro nulla, & acsi non facta esset, habendam esse. Paria enim in jure nostro sunt, aliquid non fieri, vel fieri, sed minus rectè. arg. l. quoties 6. qui satisfacere cog. l. scire oportet. 13. §. sufficit. de excus. tut. l. non putavit. §. non quavis, de bon. poss. cont. tab.

§. 12. In quibus autem causis sequestratio est permissa, Dd. minimè conveniunt, alii multas alii pauciores statuunt. Luc. de Pen. in l. si verò §. de viro. π. solut. matrim. Quadraginta septem,

ptem; alii viginti quinque. *Coler. Proc. Exec. p. 1. c. 2. n. 156.* Alii quindecim. *Felin. in c. nihil prodest. ext. de præscription. Hostiensis in summa de sequestr. poss. n. 4.* multi decem. *Coras. lib. 2. miscell. c. 2. n. 9. & seq.* quidam etiam pauciores. *Gædd. in repet. de sequestr. poss. c. 2. n. 52.* Nos ob casuum frequentiam sanè impossibile duximus omnes recensere; sed saltim exempli loco quasdam annotabimus, reliquasque judici, qui, num casus, quo sequestratio petitur, in jure sit fundatus, diligenter animadvertere debet, relinquemus.

§. 13. Et quamvis regulariter sequestratio, lite pendente, prohibita sit. *Ferrariens. in form. sequestr.* tamen hoc in multis casibus non obtinet, quos enumerat *gloss. in c. 2. de sequestr. possess.* Sicuti etiam prohibitio locum non habet, cum timor vel suspicio de dilapidatione rei debitoris adsit. *l. Imperatores. 21. §. 3. π. de appell. l. 22. §. 8. π. sol. matr.* tunc enim Judex, quia iudicium posset esse elusorium *l. 75. π. de judic. l. 4. de recep. arbit.* Adeò ut creditor, in casu victoriæ vel nihil vel parum foret habiturus. *arg. l. 6. de dol. matr.* legitimè ad sequestrationem procedit. *Col. Proc. Execut. p. 1. c. 2. n. 102. Gail. 1. obs. 148. n. 1. 2.* Judex autem non statim inconsulte eam debet decernere, sed ei prius de dilapidatione rerum fides non saltem summaria est facienda; sed illi, qui prodigalitatem & dilapidationem asserit, incumbit, quia vitium est, & non præsumitur, sed probatione indiget. *Joseph. Mascard. de prob. vol. 3. conclus. 12. n. 34. in princ.* & non sufficit nuda allegatio, sed probatione opus est. *Gail. 1. obs. 142. n. 5.* & hæc potest fieri, quando probatur, debitorem vel nulla amplius possidere immobilia, vel adeò pauca, ut non æquivalent debito, in quo creditori est obligatus, hinc etiam prudens Judex circumstantias debet attendere: an antea malam vitam egerit, an verò semper fuerit prodigus, & alienaverit unum prædium post aliud: an iterum inceperit esse frugalis: an perrexerit dilapidando, decoquendo. Si omnia hæc requisita vel alia concurrunt, tunc salva conscientia sequestratio potest concedi. *Coler. Proc. Exec. p. 1. c. 2. n. 103. 104.* Si autem dilapidatio notoria est, probatione nulla indiget, quia notorium non est probandum, sed tantummodo allegandum, de quo latè *Mascard.*

*scard. de probat. volum. 2. conclus. 1107. per tot. cum conclus. seq.*

§. 14. Sic ex hac causa fluit quoque quando maritus bona sua dilapidat ac profundit & uxor est furiosa, tunc rectè sequestratio dotis decernitur *l. 22. π. sol. matr. Corras. lib. 3. misc. c. 2. n. 10.* quamvis regulariter, quamdiu constat matrimonium, repetitio dotis locum non habet. *l. 2. § per totum tit. π. § C. sol. matrim. l. si constante. 25. π. § l. in rebus §. omnis C. de jure dotium,* tamen ubi incipit maritus malè substantia suâ uti, mulier sequestrationem dotis à Judice rectè petit. *Curt. de sequestr. poss. in pr.* Si autem præsupponimus, mulierem non esse furiosam, tunc nequaquam sequestratio justa potest censeri, sed potius uxori ut veræ dominæ est restituenda. *d. l. 22. π. soluc. matr. Jacob. de Arena in tract. de sequestr. n. 3.* Si verò uxor eo in casu sanâ mente prædita, potius sequestrationem, quam repetitionem dotis maluerit, tunc deneganda non est, quia quilibet favori pro se introducto renunciare potest. *l. 1. § ib. Dd. de Pact. l. fin. §. fin. C. de temp. appell. l. denique 3. §. si ad. de minor. 25. & hoc idè fit, ut mulier ex dote habeat in casu inopiæ solatium, unde se cum liberis alere queat. l. si constante. 24. § d. l. 22. §. 8. sol. matrim. l. mutus. 73. §. manente. de jur. dot. & hoc toto die practicatur, præprimis in fœminis nobilibus ubi talis metus est, tunc officio judicis sequestrantur in feudo certa bona, unde quotannis possint redigi tot fructus, qui sufficiant mulieri pro dote & donatione ante nuptias. *Col. Proc. Exec. p. 1. c. 2. n. 113.**

§. 15. Quia etiam quotidie inter homines, præprimis inter eos, qui aliàs ad dissentiendum sunt proclives, de possessione aut quasi, aut jurisdictione, aut servitute, contentiones oriri solent, ita ut sæpissimè, præsertim potentiores & nobiles ad arma veniant, pacemque publicam violent, tunc propter publicam tranquillitatem sequestratio ex utriusque partis instantiâ vel saltem unius, officio Judicis rectè imponi potest, *cur enim (inquit J. C. Ius) ad arma & rixam procedere patiat, quos Prætor jurisdictione sua potest componere l. si cæjus. 13. §. sed si. 3. π. de usufructu & quemad. & huc facit l. fin. de offic. Procons. Cesar. l. si super possessione. p. C. de transaction. l. denunciamus. C. de his qui*



qui ad Eccles. confug. & quamvis nonnulli asserunt propter metum armorum sequestrationem fieri non posse, tamen nos contrarium statuimus, & dicimus, si propter prodigalitatē, dilapidationem, & fugam sequestratio non est prohibita, multò magis in eo casu, ubi ex conventionē armorum oriri solent homicidia, latrocinia, & alia delicta publica & privata. Hinc etiam in Cam. Imper. usu est receptum, ut ita amplius nullum dubium sit, ibi enim p. 2. tit. 21. von der streitigen possession in §. fin. dicitur: Ob auch in obberührten Fall/ zwischen den Partheyen/die ohne Mittel dem Reiche unterworffen/ die Gewehr und possess oder quasi aus redlicher Anzeigung zweiffelig und sorgfältig Empörung/ Weigerung/ oder Aufruhr daraus zu besorgen / sollen Kammer Richter und Beysitzer Gewalt und Macht haben/ auff Anrufung der Partheyen/ oder von sich selbst/ ex officio die possession zu sequestriren/ oder aber quasi possession halber an statt der sequestration beyden Theilen zu gebieten haben / sich derselbigen zu enthalten / und alsobald darauff summarisch ohne einigen gerichtlichen process, oder andere weisläuffrige Ausführung der Sachen/ zu erkennen/ welchen Theil die possession vel quasi einzugeben/ oder zu inhibiren sey / sich derselbigen bis zu endlichen Austrag des endlichen Rechtens in possessorio & petitorio zu enthalten. Plures casus, in quibus sequestratio est permessa, vid. ap. Magnif. Dn. Strup. Exerc. 21. §. 50. Et hæc etiam sufficiunt de hoc capite, nunc brevitas causa ad

### CAPUT III.

#### De Causa efficiente.

§. 1.

PAULò longiori de definitione & divisione sermone usi sumus, nunc paucioribus de causâ efficiente. Causam efficientē constituunt illæ personæ, quæ inter se litigant vel controvertunt, in his autem requiritur, ut consensus eorum intercedat, & sic dicimus, quod quilibet liber homo, liberam suarum rerum administrationem habens, possit sequestrationem petere l. 1. §. non solum.

C

or. de.

*π. depos.* & sic excludimus servos. *l. 33. depos.* utpote qui Juris Civilis capaces non sunt, nullum enim caput habent, & de Jure Civili pro nullis habentur. *l. quod attinet 32. de R. J.* & libertas arbitrio suo vivendi adempta est. Nullum autem dubium est de patrefamilias, quia plenum in rebus suis dominium & administrationem habet, ipsique coram Judice comparere non prohibetur, quia rerum suarum alienatio omnimodo ipsi competit. *l. in re mandata 21. C. mandat.* item de filiofamilias *l. Julianus. 19. π. depos. l. si longius. 18. §. si filiusfam. π. de judic. l. 9. π. de O. A.* in quibus rebus plenum habet dominium & administrationem, qualem habet in peculio castrensi, vel quasi, quia in eo pro domino & patrefam. habetur *l. cum oportet. C. de bonis, quæ lib. & notatur in §. 1. Inst. per quas personas nobis acquir.*, hinc rectè ei permittitur jus sequestrandi. Item Fur & Prædo rem litigiosam sequestrare possunt *l. 1. §. 39. l. bona fides 31. §. si tamen. π. depos.*

§. 2. In supra adductis diximus, rem litigiosam sequestrari posse ab eis, qui liberam administrationem habeant. Ab his autem excluditur pupillus, propter imbecillitatem judicii, utpote qui firmum judicium interponere, & conditionem suam deteriore facere non potest. *arg. l. 189. de R. J. & pr. Inst. de aut. tutor.* rectè inde concludimus, quod non possit sequestrare, quia conditio ejus redditur deterior, commodum enim possessionis sequestratione adimitur. It. Furiosus sequestrare non potest, quia nullum consensum habet; in sequestratione autem consensum requiri, supra meminimus, furiosus verò consentire nequit, nullumque negotium gerere potest, quia non intelligit, quod agit, *§. 3. furiosus. Inst. de inutil. stipulat. l. in negotiis §. de R. J. l. 1. §. furiosum 12. de O. A.* & quia in dubio nemo præsumitur furiosus, sed quilibet sanâ mente præditus censetur, sensus enim & ratio naturalis in quolibet homine præsumitur. *l. nec codicillos. C. de codicill.* qui itaque asserit furiosum quem fuisse, ipsi onus probandi incumbit *Alciat. de præsumt. reg. 1. n. 10.* quomodo autem furor probari possit, *vid. Mascard. de probat. conclus. 826. per tot.*

§. 3. Hactenus egimus de personis, quæ jus sequestrandi habuerunt, it. quæ ab ejusmodi jure excipiebantur; Nunc paucis

cis

cis etiam agendum de iis erit, apud quas res sequestrari possit; Requiritur itaque, ut sequester fide & facultatibus idoneus sit, fide, ut rem & fructus & accessiones sequestratas, non solum diligenter ac fideliter, ne quid intereat, custodiat; verum etiam ut dissipata, & malè ablata revocet, & omnia ea faciat, quæ alias solet diligens Paterfam. in re aliena custodienda, donec lis finiatur, vel causa terminetur, efficere. Facultatibus: ut scilicet spe inopiæ non arripiat occasionem malè versandi, in administratione bonorum, quæ titulo sequestrationis possidet.

§. 4. Quæstionem autem hic quis movere posset. An scilicet quis ad sequestrem suscipiendum cogi possit? Resp. Negando; Quia ad ipsum sequestrem semper consensus requiritur, cum sequestris officium ex contractu consistat. *l. 5. l. 6. l. licet. 17. §. fin. π. depos.* hinc etiam obligatur ex contractu, invitus autem nemo cogitur contrahere vel quasi *l. nec emere 16. C. de jure delib.* nihil obstante, quod necessarium sequestrem invita alterutra, vel etiam utraque litigantium parte decernatur, quoad ipsum tamen sequestrem semper consensus requiritur, ideoque cogi non potest, nisi summa requirat necessitas, & alius forsitan idoneus reperiri non possit, sic putat *Bart. in l. litibus ad fin. C. de agricol. & cens. & l. 1. in fin. π. ubi pupill. educa. Curt. ad l. unic. C. de prohib. sequestr. pecun. n. 26.*

## CAPUT IV.

De

### Materia seu Objecto.

§. 1.

**H**Atenus de causa efficiente locuti sumus, nunc brevibus etiam de materia, seu objecto sequestrationis agemus. Interroget autem quis statim ab initio, dicendo: quænam res in sequestrem venire possunt? ad hanc respondemus, quod non tantum res mobiles, verum etiam immobiles possunt venire, in his enim differt sequestratio à deposito, hoc plerumque circa mobilia versatur *arg. l. 1. in pr. ibi datum est. π. depos. Schneidw. S. præterea. num. 10. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. de re mobili*

C 2

nul-

nullus est qui dubitat; saltem de re immobili controversiam faciunt, & negant in hac fieri posse, nos autem contrarium defendimus, & dicimus, nihil hodiè frequentius esse, quàm sequestrationem rerum immobilium, totum enim castrum litigiosum sæpissimè cum omnibus juribus ac pertinentiis, sine periculo sequestrari potest *Gæd. c. 2. n. 62. & hoc per Ord. Cam. Imper. p. 1. tit. 21.* omni caret dubio, ibi enim generaliter constituitur, quæcunque bona litigiosa sequestro poni posse, quibus verbis etiam immobilia continentur, & hoc non tantum in Cam. Imper. sed etiam ubique practicatur & in foro receptum, sicuti etiam hoc ex Juris Pontificii dispositione luculenter approbatur *per c. 2. & 3. de sequestr. poss. & fruct. Francisc. Curt. de sequestr. in pr. n. 7. Col. Proc. Exec. p. 1. c. 2. n. 148.*

§. 2. Deinde non tantum corporales; verùm etiam incorporales. Quid ad res corporales, eas omnibus fermè esse notas, existimo. *ex Inst. de reb. corp. & incorp.* ubi dicitur *in princ. d. tit.* Res corporales sunt, quæ sua natura tangi possunt, ut liber, equus, fundus, Incorporales, quæ tangi nequeunt, sed tantum animo concipiuntur; ut sunt: Servitutes, Jus piscandi, venandi, eundi, v. c. Lis inter duos nobiles movetur de jure venandi, de possessione autem vel quasi nondum constat, sed jura sunt æqualia & dubia; eo in casu jus venandi rectè sequestrari & sequester constitui potest *Gail. lib. 1. obs. 15. n. 2. Magnif. Dn. Præses in Com. suo ad π. in tit. depos. Exerc. 3. pag. 86. n. 80.* Præprimis Judex ex officio sequestrationem debet decernere, quando periculum armorum adest *Coras. lib. 3. Misc. c. 2. n. 16. Lambert. de jure patron. quest. 9. art. 3. lib. 1. p. 3.* Nec nostræ assertioni obstat, quod res incorporales non possint tradi nec restitui *l. servus. 43. §. incorporales. π. de acquirend. rer. dom. l. 3. in prin. de acquir. poss.* quia in iis usus & patientia habetur pro traditione *l. quoties 15. de servit. l. 3. §. dare. de usufr.* & hæc quasi traditio eandem virtutem & efficaciam habet, cum verâ, quia per eam etiam res incorporales præscribuntur *arg. l. fin. C. de long. temp. præscr. Wesenb. in parat. π. de servit. n. 5.* & de his iterum nullum est dubium, quia hodiè receptum. *per Ord. Cam. Imper. p. 1. tit. 2. §. Oblauch in obberürten Fall.*

§. 3. Item persona potest sequestrari. l. 3. §. fin. de lib. exhibend. l. 5. π. ubi pup. min. deb. l. 7. pr. π. depos. l. 54. C. de decur. lib. Duaren. C. de prohib. sequestr. pec. V. c. In matrimonialibus, ubi duo adolescentes super puellâ litigant, & uterque matrimonium sibi ab ea esse promissum affirmant, tunc si parentum metus & violentia timeatur, Judex puellam ex potestate parentum potest eximere, honesto aliquo loco collocare, & sic eam sequestrare, donec causa terminetur *tex. in c. cum locum 51. de spons. & matrim. c. tenor. in fin. ibi gloss. in verb. accedat de sentent. & re judicat.* de tali casu etiam elegans præjudicium extat *apud Gail. lib. 7. obs. 112.* quod adscribere placuit. In Sachen ic. ist erkandt/ daß gemeldte Sabina/ bey einer ehrlichen namhafften Frauen (deren sich beyde Theile in Zeit vier Wochen vergleichen sollen) sequestriret sey/ und bey derselben biß zu Ausführung fürgenommener Rechtsfertigung ehrlich erzogen/ auch ohne allen Argwohn und gefährlichen Zugang/ vertraut und enthalten werden soll / und da sich die Partheyen in gemeldter Zeit nicht können vergleichen/ daß alsdenn N. Bischoff/ die gedachte Sabina obberürter massen zu einer ehrlichen namhafften Frauen also wie gemeldet / vertraulich zuenthaltten und verordnen/ derohalben auch mandat und sequester erkant seyn soll. *it. propter sævitiam mariti, quando maritus uxorem capitali odio persequitur, tunc jura etiam permittunt, ut foemina custodiae alicujus probæ & honestæ matronæ committatur. c. ex transmissa. & c. literas. §. fin. de restit. spol. Hostiens. in sum. tit. de sequestr. poss. & fruct. n. 4. vers. 7. Coler. Proc. Exec. p. 1. c. 2. n. 114. & tantum de hoc. Progressum nunc faciamus ad*

## CAPIT V.

De

### Forma sequestrandî & fine.

§. 1.

Forma sequestrationis consistit in legitimo modo sequestrandî; Judex itaque non debet statim petitione Actoris ad sequestrationem alicujus rei vel juris progredi & sic Processum

C 3

ab

ab Executione incipere, nisi sequentia concurrant (1) Quod Judici ad minimum summarie constet de jure ejus, qui sequestrum fieri postulat. *Bart. in l. si finita 15. & Julian. de damno infecto.* Judex enim non statim debet credere, quod ab Actore dictum, nisi firmis assertiones suas rationibus probaverit, *c. circa de elect. in 6to. Soc. conf. 39. n. 80. vol. 2.* ibi dicit, quod sine prævia causæ cognitione Judex ad Sequestrum procedere non debeat. *Rebuff. in l. sequester 110. de V. S.* & quia prudenti Judici in tali casu cautè sit procedendum, potest à sequestrum petente, cautionem indemnitàtis, quod velit tribunal, si à sequestrato conveniatur, suis sumptibus defendere & indemne servare, sicuti hoc eleganter docet *Magnif. Dn. Pras. in Com. suo ad π. tit. depos. Exerc. 3. n. 79.*

§. 2. (2) Quod vocetur is, in cujus præjudicium postulatur sequestratio *l. de unoquoque 47. π. de Re jud. l. 39. π. de adopt.* & hoc debet fieri ob maximum commodum possessionis, quod nemini sine causæ cognitione est auferendum, & quod citatio partis adversæ requiratur, etiam testatur *Francisc. Curt. quest. 7. num. 40.* & hoc affirmat *l. si fidejussor. 7. §. fin. qui satisfacere cog.* & hoc omnes fermè Jcti unanimiter statuunt, partis gravatæ citationem ad eò necessariam esse, ut eà omissa sequestrum ipso jure vanum & nullum esse, quia aliàs citatio in quolibet actu requiratur, etiam in notoriis & coram Imperatore, de quâ latè disputat *Gail. 1. observ. 148. num. 1. 2.*

§. 3. (3) Requiritur quod sollicitans sequestrum, coram Judice causam sequestrationis probet & juratò affirmet, id ad sui Juris vel debiti conservationem facere, non calumniæ vel æmulationis causa. *Boc. p. 1. disp. 11. th. 75. Abbas in c. 2. n. 79. ext. de sequestr. poss. & fruct. Jason & Alexander in l. si fidejussor. §. si satisfactum. π. qui satisfacere cogant.* Præsumptiones enim pro Reo militent, quia sequestratio est odiosum remedium & hoc regulariter prohibitum, ideoque justa causa non præsumitur, sed probatione indiget. *Wesemb. conf. 7. n. 7.* Hinc etiam *Corat. p. 3. quest. 4.* inter substantialia sequestrationis numerat juramentum calumniæ per *l. de Pupillo. 5. §. qui opus ubi Jason π. de nov. oper. nunc. l. qui bona §. penult. & fin. de damno infecto.* & dicit *Corat. d. l.*

*d. l.* bonum esse, ut in practica servaretur, quia ut plurimum fiant sequestra mendicata & studiosè ad aliquid impediendum, non ad juris conservationem. Sed quia etiam cautè cum juramentis est agendum, Judex diligenter animadvertere debet, an etiam animo calumniandi exigatur, siquidem Coratii opinio non ita est accipienda, quasi nulla sequestratio absque juramento calumniæ fieri posset, interdum quidem deferri potest, interdum etiam absq; eo sequestratio potest decerni.

§. 4. (4) Requiritur quod ex persona illius, adversus quam petita sequestratio est, appareat suspicio dilapidationis, fugæ, scandali. *l. Imperatores. §. ult. π. de appellat. & l. si cum dotem. §. sin autem. π. sol. matr. Johan. Ruding. Cent. 4. obs 59. tit. von der Sequestration.* & si de his omnibus Judex causam sufficienter probatam cognovit, partes citavit, audivit jusque Actoris, & an causa allegata sit sufficiens, justa & in jure fundata, exploraverit, tunc sine omni periculo sequestrationem concedere potest, quæ enim cum causæ cognitione perficiuntur, licitè ac legitimè fieri dicuntur. Excipiuntur autem hæc prædicta requisiti si periculum sit in mora, & in casu imminentis fugæ, tunc enim contra Reum inauditum & non citatum sequestratio rectè decernitur, contra fugitivos enim proceditur de facto, ordine juris non servato. *Abbas in c. cum dilectus in fin. x. de sequest. possess. & fruct. l. penult. C. de pignorat. act. l. questum 14. de pignor. Myns. cent. 2. obs. 11. ubi in fine subjicit: Periculo subsistente etiam in Cam. Imper. talia requisiti non observantur.*

§. 5. Supra diximus Judici saltem summarie de jure qui sequestrum petunt, debere constare; notandum autem, quod Doctores in hoc non conveniant, statuunt enim alii, quod is, qui sequestrum petit, debeat per publicum instrumentum jus suum probare, quod tamen non statuimus, uti ex supra dictis patebit, & dicimus, si saltem summarie causæ cognitio adsit, sequestrationem habere locum, nullaque fides instrumenti publici requirenda. *Johan. de Platea in l. jubemus 16. n. 6. C. de erogat. milit. anno. lib. 12. Alex. & Jason. in l. si fidejussor. §. si satisdatum. π. qui satisd. cog. Immol. in l. Imperatores 21 §. fin. de Appell. sic etiam Mascard. de probat. concl. 1298. n. 3. statuit. Curt. d. l. unic. C. de probat.*

*prob. sequest. pec. n. 49. cum seqq. & Corat. in tract. de sequest. p. 3. quest. 2.*

§. 6. Quæritur, an etiam die feriata sequestratio possit decerni? Affirm. Si periculum est in mora, ubi enim periculum in mora, à regulis Juris communis licitè recedatur *l. de pupillo. §. §. meminisse & §. si quis rivos π. de oper. nov. nunc.* tunc enim fieri potest, quod aliàs regulariter est prohibitum.

§. 7. Quoniam hætenus vidimus, quomodo constituitur sequestratio; nunc etiam videndum, quibus modis finiatur & relaxatio possit fieri. Finitur autem (1) ante omnia morte sequestris, & non transit ad heredes, quia personale officium est ideoque etiam extinguitur cum persona *§. item si adhuc 10. Inst. de mandato. l. 13. sol. matrim.*

§. 8. (2) Relaxationem potest impetrare, si promittit idoneam cautionem de rebus conservandis *arg. l. fin. C. de ord. cognit. Gail. 1. obs. 148. n. 5. Myns. cent. 5. obs. 35. num. 7. Corras. lib. 3. Misc. c. 2. in fin.* Hinc etiam à Corat. *in tract. de sequest. part. 4. quest. 2.* cautio nominatur medicina sequestri. Præstita itaq; hæc cautio, Judex sequestrationem semel concessam, relaxare, & Reo suarum rerum usum per sequestrationem ademptum, rursus permittere debet *l. si fidejussor. 7. §. fin. π. qui satisdat. cogant.* notanter dixi idonea: qualis autem hæc sit, dicit Schneidewin. *Instit. de eo cui libert. causa bona addic. num. 5.* quæ scilicet fit per fidejussores & pignora, quod etiam potest probari *arg. l. si mandatum Titii 59. π. manda.* Hocque procedit, quando causa sequestrationis per eam adimitur. *Boc. p. 1. disput. 11. thes. 81. e. g.* Si propter metum dilapidationis sequestratio est decreta *Corras. lib. 3. Miscell. c. 2. num. 19. & seq.* Secus verò est, quando causa sequestrationis per satisfactionem non aufertur, e. g. Si ad evitandum scandalum, puta propter metum armorum sequestratio est facta *l. si cujus §. æquissimum π. de usufr. Gail. 1. obs. 5. n. 1.* melius est, ut satisfactio non recipiatur *c. ex transmissa 8. c. literas 13. ext. de restit. spoliat. Hackelm. illustr. quest. disput. 9. thes. 15.*

§. 9. Quæritur, si Reus ob inopiam nec fidejussoribus nec pignoribus cavere possit, ane juratoria cautio ad dissol-

ven-



vendum sequestrum sufficit? Nos limitative affirmamus, si scilicet integra & honesta sit persona *Gail. 2. obs. 47. n. 9. Col. Proc. Exec. p. 3. c. 11. n. 102. l. 1. §. 2. C. de adfert. Nov. 112. c. 2. pr. & Novell. 134. c. 9. Auth. hodiè C. de custod. recor.* in quam sententiam etiam Cam. Imper. descendisse legimus apud *Gail. 1. obs. 148. n. 6. Col. d. l.* Quæ autem persona integra, quæ suspecta sit, Judicis arbitrio committimus *arg. l. 1. de jur. delib. l. 1. §. 1. π. de effract.* Unde si propter dilapidationem vel fugam vel alios rei conventi mores corruptos sequestratio decreta est, juratorix cautioni locum non esse defendimus *per Col. d. l.*

§. 10. (3) Solvitur etiam sequestratio mutuo sequestrantium consensu, quod intelligendum est de voluntaria sequestratione; Quia enim consensu constituitur, optimè etiam consensu potest finiri *§. hoc amplius 4. Inst. quib. mod. toll. oblig. arg. l. nihil. 35. π. de R. 7. & l. 58. π. de Pactis.* (4) Judicis decreto, e. g. si sequestrum sit factum contra jus, per implorationem officii Judicis rursus tolli & rescindi potest; eatenus enim de facto tollitur, quatenus de facto processit. *Ferrar. in form. sequest. verb. audeant n. 3.* & sic patet, quod non propriâ autoritate quis possit rem à Judice sequestro positam iterum detrahere, aliàs jure suo, quod in re illa habet, privatur *l. si quis in tantum 7. C. unde vi.* Quamvis ei jus quoddam competat, tamen eam propria autoritate invadere & occupare non potest, sed juris via ei procedendum est. *l. extat. 13. in princ. π. quod metus causa* ibi. *Jctus Calistratus ex Decreto D. Marcii hæc verba refert,* optimum est, ut si quas putas te habere petitiones, actionibus experiaris, & hæc via tutissima est, quæ sit cum imploratione nobilissimi Judicis officii, quamvis nonnulli putant læso vindicationem competere, nos tamen statuimus, utilius esse, ut nobilissimum Judicis officium pro relaxatione sequestrationis impetretur. *Wesemb. cons. 7. n. 2. col. 329.* simili modo, si sequester velit officio renunciare à Judice sibi imposito, *l. apud quem 5. §. si velit. π. depos.* nam & hoc casu Judicis decretum desideratur, *d. l. 5.* Sequestri enim non est permittendum officium, quod semel suscepit, contra legem depositionis deponere, nisi justissima causa interveniente *d. l. 5. §. si velit. l. si quis 27. §. qui man-*  
D das

*datum 2. π. mandat. l. 3. §. tamen si & l. licet. 15. π. de recept. qui arbitr. veluti si longinquo sit abfuturus, vel alia justa causa intervenerit. l. 9. 10. & 44. de Procurat. Coler. Proc. Exec. p. 3. c. 11. num. 19.*

§. 11. (5) Finitur etiam sequestratio die ac conditione existente, ad quam facta erat. *l. 5. §. si velit. 2. π. depos. l. 44. π. de O. & A.* & non tantum in voluntaria, sed etiam necessaria sequestratione die ac conditionis eventu finitur. Si enim Judex quoque sub certa conditione aut ad certum diem rem controversam sequestrari curaverit, & conditio existit, aut dies venit, eam etiam sequestrationem finiri, nemini sane dubium esse arbitramur *arg. §. 4. Inst. quib. mod. toll. oblig. & denique (6) lite finita finitur etiam sequestratio l. fin. C. de ord. cogn. l. 6. l. 7. l. 17. π. depos. Myns. §. praterea. n. 5. Inst. quib. mod. re cont. oblig. l. 9 §. 3. π. de dol. mal.*

§. 12. Ordine nunc flagitante accedimus ad finem & effectum, qui est ut partes rem sequestratam, usque dum lis composita est, non possideant, & hoc fit vel consensu Judicis, sicuti supra diximus, pendente autem lite, sequester rem sequestratam diligenter custodire debet, ne dolo lataque ejus culpa de quibus tenetur, non autem ob levem & levissimam, multo minus ob casum fortuitum, quid detrimenti capiat, prædia administrare, fructus colligere eosque asservare & quæ servando servari non possunt vendere & pretium deponere. *Magnif. Du. Struv. Exerc. 21. §. 52.* Pro his laboribus sequester quidem remunerationem recipere potest, sed non mercedem & salarium, quando autem hoc fit, statim mutatur natura contractus, & ulterius sequester tenetur quam alias regulariter teneatur, nimirum debet ultra dolum & latam culpam etiam levem & levissimam, præstare, sequestrum enim regulariter gratuitum esse debet, ex officio namque & amicitia originem sumit, sicuti ejus genus depositum, it. mutuum, commodatum, mandatam precarium, nullam mercedem sive salarium regulariter recipiunt.

§. 13. Gravis hic nascitur quæstio, An sequester, si Jus Patronatus per sequestrationem ei committatur, jus præsentandi & conferendi habeat? Nos contra quosdam affirmativam & qua-

quasi fixam, positamque defendere conabimur. *Cons. lib. 3. Miscell. c. 2. n. 16. Lambert. de jure patronatus quest. 9. art. 3. tib. 3. part. 2. Boc. p. 1. disp. 11. thes. 13. Gædd. c. 2. ext. de sequestr. poss. & fruct. n. 59. & seq.* ratio autem potest dari hæc: quia hoc Ecclesie vel maximè favorabile est, ne gregem Domini, pastore deficiente, rapax lupus invadat, aut in facultatibus suis Ecclesia viduata grave dispendium patiatur *c. ne pro defectu. ext. de Elect. & non debet justitia ecclesiastica periclitari propter contentionem partium arg. c. 1. ext. de dol. & contum. Hackelm. illustr. quest. disp. 9. th. 16. Magn. Struv. Exerc. 21. §. 52.*

§. 14. Nunc etiam offert se quæstio illa quotidiana, & satis hæctenus inter Doctores ventilata, An nim. possessio rei sequestratæ transeat ad sequestrem? Variè à variis Doctoribus respondetur. Quidam enim simpliciter sequestrem possidere contendunt, moti *per gloss. in l. interesse puto. 39. π. de acquir. vel amitt. poss.* Nonnulli distinctione adhibita rem expediri posse existimant; Distinguunt itaque inter sequestrationem voluntariam & necessariam, ita ut per illam possessio rei in sequestrem transferatur, secus verò esse in necessaria, in hac enim (dicunt) nullo modo sequester potest possidere, quia Judex non præsumitur partibus per interpositam sequestrationem, possessionem ei auferre voluisse, quia hæc custodiæ causa facta est, vel quia necessitas ita efflagitavit, sed futuro victori res manet *vid. Dd. ad l. 17. π. de pos. it. Bald. & Salicet. in l. unic. Cod. de prohib. sequestr. pecun. inter quos etiam est Schneidewin. in §. præterea n. 5. Inst. quib. mod. re contr. oblig. & plures alii.* Nos rejectis hisce opinionibus non tantum per necessariam, verum etiam per voluntariam sequestrationem possessionem in sequestrem non transire, defendendum suscipiemus, nisi expresso partium consensu actum fuerit, ut possessio in sequestrem transferatur *propter text. express. l. 39. π. de acquirend. possess. l. licet. 17. π. de pos. Bachov. in not. ad Treutl. p. 1. disp. 26. th. 9. lit. A. Gail. de Arrest. c. 12. n. 6. Coler. Proc. Exec. p. 3. c. 11. n. 1. Hackelm. illustr. quest. disp. 9. th. 15.* Deponitur enim res apud sequestrem eo fine, ut tamdiu dum lis durat, custodiatur & postea victori litis reddatur. *l. 6. 7. & 17. de pos. si ergò fit custodiæ causa solum, uti*

apparet ex dictis & l. 1. §. de pos. Trent. d. l. th. 10. quomodo se-  
quester potest habere possessionem, cum custodia actum posses-  
sionis nullum habet, sunt enim separata, possessio & custodia.  
l. 3. §. fin. §. de acquirend. poss. brevibus dicimus, sequestrem qui-  
dem in possessione esse, non tamen possidere, quia inter se dif-  
ferunt l. 1. §. fin. de acquir. vel amitt. poss. Gail. 1. obs. §. num. 10.  
Nihil itaque agunt, qui nobis obijciunt responsum Jcti Flo-  
rentini in l. 17. §. de pos. dicunt enim dissentientes Jctum diffe-  
rentias inter depositum recensisse, tandem in §. 1. d. l. recensisse  
tertiam, quando dixit: *rei deposita proprietas apud deponentem  
manet, sed & possessio, nisi apud sequestrem deposita sit*, ex his ver-  
bis concludunt, quod sequestratione possessio in sequestrem  
transferatur; variè à variis ad hunc locum solet responderi,  
Duaren. tamen responsio mihi præ aliis placet, qui dicit hæc  
verba: *nisi apud Sequestrem deposita*, intelligenda essent cum li-  
mitatione Juliani in l. 39. §. de acquirend. poss. *nisi animo dimit-  
tenda possessionis & hoc aperte fuerit approbatum, res est seque-  
strata*, & sic etiam putat Magnif. Dn. Pres. in com. suo ad §. ad  
l. i. interesse 39. n. 76. Deinde etiam Jctus in isto responso no-  
tante vocabulo *tum demum* utitur, quod fanè talis limitatio  
arguit, aliàs enim Jctus simpliciter dixisset: nam sequester pos-  
sidet, hinc notante loquitur *tunc demum*, i. e. quando hoc par-  
tibus placuit, sequester possidet & ulterius Jctus rationem sub-  
jicit, quando dicit, id enim agitur ea depositione, sc. in qua di-  
ctum & actum est, ut possessio in sequestrem transiret, ut seque-  
ster & neuter ex litigatoribus possideret, sic enim eleganter hoc  
responsum convenit cum l. interesse 39. §. de acquir. poss. & in  
utraque lege transfertur possessio, quando hoc expressè à par-  
tibus fuerit approbatum, & sic verba in d. l. interesse. hoc aper-  
te fuerit approbatum, minimè sunt expungenda & corrigenda,  
sicuti nonnulli putant, quod etiam Magnif. Dn. Pres. in com.  
suo ad hunc locum placet, & tantum etiam de hoc.

Properandum nunc ad

CA-

## CAPUT VI.

De

## Actionibus.

§. 1.

ULTIMO loco necesse est, ut aliquid dicamus de actionibus, quæ ex hac conventionione seu ex hoc contractu sequestrationis descendant. Finita sequestratione interdum oritur actio, quæ speciali nomine actio Depositi sequestraria vocatur. *l. 12. §. 2. n. depos.* quia contractus sequestrationis specialis est contractus, qui à deposito in multis differt, ideoque differentiarum causa specialis actio datur. *d. l. 12. §. 2. n. depos.* idemque tradit *Duaren. ad tit. Cod. depos. Cujac. in parat. C. de prohib. sequestr. pecun. in fin. Wesenb. in parat. n. depos. num. 6. Magnif. Dn. Struv. Exerc. 2. §. 54.*

§. 2. Hæc actio dividitur in actionem depositi sequestrariam directam & contrariam. Actio sequestraria directa datur victori adversus sequestrem ad rationes reddendas, & rem cuius custodiam ex bona fide receperat, unâ cum fructibus restituendam. *l. 6. l. 12. l. 23. & passim. n. depos. Col. p. 3. c. 11. n. 6.* & hæc actio competit victori, ut cum ea adversus quemlibet sequestrem agere possit, sive sit filiusfamilias. *l. 1. §. 42. n. depos. l. 5. pr. l. 38. n. de pecul.* contra quem hæc actio in solidum competit. *l. si apud filiumfam. 21. prin. n. depos. & adversus patrem eius duntaxat de peculio d. l. 1. §. 42. n. depos. d. l. 5. §. 38. n. de pecul.* sive etiam pupillus *d. l. 1. §. 15. n. depos. l. 3. in fin. n. quando ex fact. tutor.* si modo sit doli capax: Imò etiam si dolum non commisit, locupletior tamen factus fuit, in quantum locupletior factus est, hæc actione etiam tenetur *d. l. 1. §. 15. depos. l. 1. §. 4. de pecul. l. 10. n. de inst. act.* Et cogitur sequester hæc actione exhibere rem sequestratam eo loco, de quo conventum *l. 6. C. depos.* quod si de pluribus locis convenit in arbitrio ejus est, quo loco exhibere velit, si verò nihil dictum est de loco, denunciandum est ei, ut apud Judicem exhibeat *tex. in l. 5. §. 1. n. depos.* competitq; hæc actio adversus heredes sequestris, *l. 12. §. 2. n. depos. l. 2. cod. l. 8. §. 9. Cod. cod.*

D 3

§. 1.

§. 3. Actio sequestraria contraria competit sequestri ad-  
versus victorem, ad refusionem impeniarum in rem sequestra-  
tam factarum. *Bachov. d. disp. 26. tb. 10. in fin.* ne inde damnum  
patiatur. *l. 14. π. de condict. indebit.* Sequestris enim est rem pe-  
nes se depositam diligenter custodire §. 3. *Instit. quib. mod. re  
contrab. oblig.* ne ipsius dolo vel lata culpa §. 3. quæ dolo com-  
paratur *l. 32. depos.* ea res damnum sentiat *l. 1. §. 1. & seq. eod.* ob-  
levem enim & levissimam culpam non tenetur §. *preterea. Inst.  
quib. mod. re contrab. oblig. l. 32. depos. l. 23. de R. J.* nisi se quis  
deposito obtulerit *l. 1. §. 35. π. depos. c. fin. ext. de depos.* vel id  
nominatim inter partes contractum fuerit. *d. l. 1. §. 35.* nam hoc  
servabitur, quod initio convenit. *d. l. 1. §. 6. d. l. 23. d. R. J.*

§. 4. Denique circa hoc ultimum caput oritur quæstio  
illa: An scilicet Actio præscriptis verbis ex hoc Sequestrationis con-  
tractu descendat? Nos ex Sequestratione propriè dicta non  
competere planum facimus, *arg. l. si gratuitam, 17. §. fin. π. de  
presc. verb.* Nam tum demum datur actio præscriptis verbis,  
quando nondum expeditum, quo nomine contractus initus &  
per consequens actio ex eodem descendens veniat *l. 1. & ibi Go-  
thof. π. de prescript. verbis,* quod tamen omninò hic cessat, cum  
superius satis probatum fuerit, dari ex hoc sequestrationis con-  
tractu actionem, quæ vocatur sequestraria. Postremo nec doli  
mali actionem ex sæpè dicto contractu adversus sequestrem da-  
ri concludendo affirmamus *arg. l. 9. §. 3. & ib. Cujac. de dol. mal.*  
non enim conceditur actio de dolo, nisi alia actio & quidem  
ordinaria, non detur *l. 1. §. 1. de dol. mal.* quod & hic aliter se  
habere nemo non videt.

§. 5. Atque hæc sufficiant, quæ in præsentis secundum do-  
na mihi à clementi Deo & Salvatore meo data, de non mi-  
nus utili quam nobili sequestrationis materia, ex variis hinc  
inde collectis proferre, measque vires tentare proposui.  
Ingeniosius sanè ac elegantius componi potuissent, verum  
quod ego hæc vice præstare non potui, culpa non mihi, sed  
ingenii mei paucitati est adscribenda. Quia autem optimè in-  
telligo nullum inter terrigenas fore, quem non aliqua igno-  
rantia pars tangat, idcirco si forsitan, siquidem animi non  
pen-

pendeo, in tam acutâ materia erraverim, aut minus eleganter dixerim, id à me haud alienum esse existimo. Quare C. L. est, quod à te orem, modo exorem, ut pingui Minervæ veniam dare, bonique de ea velis judicare. DEO autem Ter Opt. Ter Maxim. laudes & gratias habeo, quas possum maximas, cujus ope metam conatus meus obtinuit præscriptam.

---

## Corollaria.

1.

Jus publicum rectè tractatur in Academiis.

2.

Tractatio Juris publici pertinet ad Jctos.

3.

An Pontifex in Imperatorem potestatem habeat?  
Resp. Neg.

4.

An Imperium nostrum sit Feudum Pontificis?  
Neg.

5.

Amasius amasiæ imprægnatæ poculum abortivum adhibens, ut insperato casu intereat, tenetur L. Cornel.

6.

Stillatio sanguinis è cicatrice occisi, non est sufficiens indicium ad torturam, contra præsentem de cæde suspectum.

7.

Defensio omnibus competit, etiam bestiis, imò Diabolo.

8. An

8.  
An licitum sit more aulico bibere & potum acci-  
pere, quod vulgò vocatur: auff Hoff-Recht trincken/unde  
Ich bringe dir's auff Hoff-Recht / Ich erwarts auff Hoff-  
Recht.

9.  
Verba: bey Fürstlichen / Adelichen Würden / Ehren-  
Treuen und Glauben juramento adæquari possunt.

10.  
An mulieres magicæ, præstigiis juvenes ad se per-  
ducentes, quod vulgus auff den Bock holen appellitare  
consuevit, ultimo supplicio puniendæ?

11.  
An Advocatus bonam causam falsis tueri rationi-  
bus possit? Neg.

12.  
Vendito equo an etiam sella, frenum & alia orna-  
menta debeantur? Affirm.

13.  
An puella, quæ furem aut alium reum mortis in  
matrimonium sibi petit, à poena ipsum liberet?

14.  
Fur, rupto laqueo, de patibulo cadens, jure non  
liberatur à poena suspendii, sed iterum suspendi potest.

15.  
Alapam cum interneccione adversarii, secundum  
vetus Germanorum proverbium: auff eine Mausschelle  
gehöret ein Dolch/vindicare non licet.

16.  
An relegatio infamet?

17.  
Carnifex non est infamis?

¶(o)¶



**D**Um commendando nostram  
Themini excolis ausu,  
Ingeniique tui prompti, PLAU-  
DENTE SALANA,  
Vires eximias ostendis, prospera  
quæque  
Apprecor, & jungo Votis sic OPTI-  
MA Vota.

*Hæc*

*Per-Eximio Dn. Authori ami-  
cæ m. & m.  
gratulab. scrib.*

**Johann-Volk. Bechmann**  
D. & Præses.

---

**D**octè ULRICE tui generis  
præclara propago,  
Hactenus ingenii non te vis defi-  
cit acris;

E

Nec

Nec modo desidiæ te ambit pru-  
ritus inertis,  
Ut probat hæc iterum repetita  
palestra Themistos.  
Pergito : sic Virtutis præmia di-  
gna capeffes.

*Rapim*

*Eruditissimo hujus disputationis Autori ami-  
co suavissimo, & Auditori suo hætenus in-  
defesso in Patriam abeunti,  
Id μνημοσιν l. m. 93 f.*

D. Burchard-Heinrich Tile-  
mann, Advoc.

---

**I**n Sinnloß Midas Volck / läßs bey den glei-  
chen bleiben /  
Gedencket nicht gar weit / will sich nicht einverleibē /  
Der grauen Ewigkeit / Astræens eignen Sitz /  
Wo nimmermehr kömpt hin / ein Volck das  
ohne Witz :  
Ein kluger Pallas Sohn klebt nicht siets an der Er-  
den /  
Gedencket Himmel auff will gantz vergöttert wer-  
den /

Verz

Verlacht solch irdisch Volck/ Er greiffet seine  
Sachn  
Mit allen Kräfte[n] an/ mus Tag und Nacht  
mit Wahn  
Die Glieder fressen ab/ muß blättern/ suchen/ lesen  
In manchen schweren Buch/ sonst kan er nicht ges  
nesen  
Der Kunst und Redligkeit: Das hat er wohl  
bedacht/  
Den Kopff ins Buch gesteckt/ solch dummes  
Volck verlacht:  
Ja weidlich drauff studirt, was Paulus hat gelehret  
Was Cajus, Julian hat er mit Fleiß gehört.  
Zu völligen Beweis/ muß Erikund bericht'n/  
Wie man durch sequestern viel Streite müsse  
schlicht'n/  
Das Stadt- und Adel-Volck / durch Greiffung  
nach dem Degen/  
Durch aufgeschlagenen Han/gedencken bezzulegen/  
Da da ist nun sein Sinn / es nach Astréens  
Recht'n/  
Ohn sondern Zank und Streit/ Krafft Rich  
ters zuverfecht'n.  
Der hohe Sterné Prinz woll Ihm hierin beglücke/  
Der Themis reichen Lohn von oben herab schi  
cken/

Bis

Bis er des Lebens satt / aus dieser Jammer  
Welt

Bergöttert fährt auff ins Gold- gestirnte Zelt.

Dieses schrieb dem Herrn Respondenten als seinen gu-  
ten Freunde und Stubengesellen zu Ehren

Johannes Schneider / von Naumburg  
der Weltweißheit Ergebener.

---

Sonnet.

Als manchem Tichons Gunst und Goldes wehrter  
Schein


Der Purpurfarben Haar Aurorens kan ertheilen  
Vermag die hohle Luft durch Famen auff viel Meilen  
Geschwinde breiten aus / daß iederman allein  
Musß seh'n was Tugend gilt / und solt es bringen Pein  
Dem überdürren Reid / den Atropos gelehret  
Sich stellen freundlich an / wenn einem was verehret  
Fortunens milder Sinn / und ihr freygebig seyn.  
Er selber / werther Freund / kan solches nun bejahren /  
Weil er durch frühen Fleiß und stille Wachsamkeit /  
Sein schon erlangtes Lob sieht wider Momus Streit  
In leichten Lüfften geh'n. Es wird mit Lust umbfahen /  
Was ausgebreitet ist bey unserm Saalen Strand /  
Der Edlen Elben Fluß / sein treues Vaterland.

Mit diesen wolte dem Hn. Autori und werthen  
Freunde in Eyl auffwarten

Christianus Ständer / der Welt-  
Weißheit Beflissener.








3  
ULB Halle  
004 795 92X




*SB*

*VD 17*









B.I.G.

Farbkarte #13

G. 26. num. 20. ~~V. 20.~~ 24

COELESTI MODERANTE  
TORUM ORDINE

ad Salam Academia

GANTE, 1671, 6

consultissimo atq; Excellentissimo

K. Bechmann/  
Eröbra/ Jcto & An-

Confiliario Saxon. eminent-

Facultatis suæ & Scabinatûs  
ravissimo,

re suo omni honoris cultu  
rando

IN ANTE,

URIDICAM THEO-  
RACTICAM

RATIONE

ensura submittit

io Jctorum

TOPH. ULRICI,

fn. AUTOR.

Anno M. DC. LXXI.

onsuetis.

N Æ,

THERIANIS.

